



*gla*

E libris  
gymnasio Mauritano Magdeburgensi  
a venerabili  
**Carolo Funk**  
theol. doctore et gymnasii direttore  
a. 1857 hereditate relictis.

*G. f. 171.*

QUATVOR IUVENES PROBOS

PLVS VLTRA HINC PROGRESSVROS

POSTREMAQVE VOTA NVNCVPATVROS

AD D. VIII OCTOBR. A. S. CIO IOCC XXXIII

VT AVDIRE LVBEAT

PERILL. ILL. EXCELL. PRAENOB. CONSVLT.

MAGNIF. SVMMEQ. REV. AMPLISSQ.

MAECENATES, INSPECTORES, PATRONOS,

FAVTORES,

QVO QVEMQ. DECET HONORIS NOMINE

ROGAT ET INVITAT

IOAN. GOTTHELF ROSA. RECT.

SALFELDIAE

CHARACTERE BOEHMERIANO.

## PLUS ULTRA!

Imperatoriam hanc vocem  
Herculeo animo maiorem \*  
sequuntur  
quicumque ad virtutis & felicitatis  
brabea adspirant et contendunt.

Rectis et erectis animis  
non nisi vera salus et felicitas  
proposita est.

Hic *plus ultra*

eundum, vt perueniamus  
conandum, vt perficiamus  
adscendendum, vt superemus  
eluctandum, vt quiescamus  
militandum, vt triumphemus  
certandum, vt coronemur.

Ardua virtutis est via  
eidem nulla inuia.

Impedimentis acuitur;  
quo impeditior,  
eo expeditior.

mora et cessationis nescia.  
periculum in mora semper  
saepe iactura est.

tantum recedimus  
quantum subsistimus.

Quies et cessatio nulla,  
praestat non coepisse quam destitisse.

Nihil est incipere, nisi pergas.

Nihil pergere, nisi finias.

Finis coronat opus.  
eo vsque elaborandum est  
dum audias vocem

*hic terminus esto.*

Tum itineris molestias patria  
conatus honos atque voluptas  
laboris taedium larga merces  
luctae miseriam grata quies  
militiam victoria et triumphus  
certantium constantiam corona  
excipit.

Et vero paratior esset animus  
et sequacior vbi audit

*plus ultra*

si appareret terminus.  
sed prouocantur mortales  
ad aerumnas

sed fatigantur laboribus  
quibus nec modus nec terminus  
quibus nec vita nec vires sufficiunt.

Nunquam fatis discitur.  
Quanto plus discimus  
tanto magis, parum nos scire, discimus.

*plus ultra*  
vt, quando omnia non datum est  
aliquid tamen discamus,  
quando non, quantum volumus  
tamen, quantum possumus, discamus.

*Ultra* posse nemo obligatur.  
Perfectos nos redemptor exigit  
in quos perfectio non cadit.

*plus ultra* tamen  
vt voluntatem probemus  
perficiendi facultate negata.  
In magnis voluisse sat est.

Qui voluit, quantum potuit  
tantum reddidit, quantum accepit.  
Neque maius a Deo foenus poscimus  
quam pro sorte.

Non est igitur vt animum despondeamus.

Erit aliquando  
vt exantlatis laboribus  
finito itinere  
laeta vox resonet

*hic terminus esto.*

Cipient sibi hoc  
quatuor iuuenes abitum parantes  
quem dum parant  
quid nisi *plus ultra?*

Meminerint autem per omnem vitam academicam

vt dignos se praestent  
quibus aliquando grata patria dicat

*plus ultra.*

Meminerint per omnem vitam  
se diuinitus moneri  
vt in officiis christianae religionis et vitae

*plus ultra.*

donec vitae mortisque summus arbiter  
qui suum cuique vitae terminum constituit  
paratum quemque moneat

*hic terminus esto.*

Ad quem terminum interminatum  
vt omnes ita, vt par est  
appellamus  
faxit Deus, qui vnus est sine termino.

Vos

Viri Perillustr. Illustr. Excell. Praenobiliss.  
Consultiss. Magnif. summe Reu. Amplissimique  
qui rei scholasticae curam geritis  
et vos praeterea

qui nobis bonisque litteris fauetis  
adeste quaesumus frequentes  
quos adfuturos esse confidimus  
patulasque aures allaturos  
probis iuuenibus quatuor  
hincabituris

et gratæ mentis declarationi  
in pia vota disertæ  
præmissuris

IO. MICHAEL. LAELIO Regislac.

carmen lat. heroic. tersum  
et quale ab eius ingenio et industria licet expectare  
de dicto Heiniano

Quantum est quod nescimus:

FRID. VVILHELM. NOLDIO, Regislac.  
de Regislaco, patria sua, dicturo  
et vota carmine heroic. soluturo.

IOAN. GERHARDO VVACHSMANNO, nostrati  
de perpetuo rerum humanarum vicissitudine  
declamatururo:

IO. SIMON. GOTTLIEB DINCKLERO, Neohuf.

Socratis, *se nihil scire, nisi id ipsum*  
*quod nihil fiat*, professi sapientiam laudaturo  
carm. lat. heroic. industriam spirante.

Quod, vt lubentes faciatis  
rogamus

recipientes, non fore vt audisse poeniteat.

Dab. Rudolphipoli e museo d. V Octobr. A. S. MDCCCXXXIII.

\* *Caroli V. vox, plus ultra*, digna tanto heroë, qui Herculem animo rebusque gestis superauit. Superatis enim *columnis Herculeis*, quas vocant, seu *fretis Herculeo*, quo nomine veniunt duo montes, *Calpe*, cui *Gibraltar*; et *Aiula*, cui impositum castellum *Ceuta* eminet, cum *columnæ*, quæ altera, alteri monti imposita longe lateque prominuit, inscriptum est, vt ferunt, *nihil ulterius*, adscriptisse dicitur Carolus, *plus ultra*: dominus videlicet *Americæ*, finibus omnino ulterius prolati. Quanquam sunt, quibus ipsi montes *columnæ* vocentur. Hinc poeta, nescio quis:

*PLVS VLTRA Herculeas, Calpen Abilamque columnas,*  
*CAROLE, victoris nobile nomen habes.*


Et alius:

*Struxit in extremo quas æquoris orbe columnas,*  
*Qui satus Alcmena de genitrice fuit,*  
*Has virtute tua superasti, CAROLE, Caesar:*  
*PLVS VLTRA rebus forte fauente tuis.*

Quo et spectat eiusdem epitaphium:

*CAROLVS vt victo discessit victor ab orbe,*  
*Vterius tendens, regna beata tenet.*

vid. Nicol. Reusneri Symb. Imperat. class. III, 39, pag. 288. coll. Plin. H. N. lib. III, cap. 1. *Natal. Comes* mytholog. lib. III cap. 19. et VII, 1. et post *Serabon*, Geograph. auctores.



78 M 428


Sign. (188) fehlt bzw.  
coll. nicht vergeben!



Sb.

1077

R.40



QUATVOR IUVENES PROBOS

PLVS VLTRA HINC PROGRESSVROS

VE VOTA NVNCVPATVROS

OCTOBR. A. S. CIO IOCC XXXIII

VT AVDIRE LVBEAT

CELL. PRAENOB. CONSVLT.

VMMEQ. REV. AMPLISSQ.

INSPECTORES, PATRONOS,

FAVTORES,

MQ. DECET HONORIS NOMINE

ROGAT ET INVITAT

OTTHELF ROSA. RECT.

SALFELDIAE

CTERE BOEHMERIANO.



AK

